



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

2. Quid sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

rum: in quo responso multi sunt errores. Primum Baptismum non dari paruulis in remissionem peccatorum, contra Paulum ad Titum 3. & ad Ephesios 5. Secundus, paruulos posse esse beatos sine Baptismo, & Christi sanguine, contra I. Ioannis cap. 5. & illud Pauli, in Christo omnes uiuificabuntur. Vnde Augustinus epistola 28. Tercius beatitudinem simpliciter esse extra regnum caelorum quem errorem notat Augustinus 1. de peccatorum meritis capite vigesimo. Quartus excludit paruulos à regno caelorum absque peccato. Legatur August. libro 10. de sermone Domini. & libro 3. contra Iulianum, initio.

VII.
3. Ratio. Tertia ratio est Origenis homilia octaua in Leuit. quia in Scriptura multi iusti queruntur de die natali, & suae conceptionis, & maledicunt, quod non facerent ratione naturae: ergo ratione culpae. Idem etiam ponderauit Gregorius 4. Moralium capite quinto, exponens illud, *perat dies in qua natus sum*, & c. huc referri possunt verba illa Psalmo 50 *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*, quae non possunt intelligi fuisse dicta propter peccata, quae parentes in conceptione eius commiserunt, tum quia ex legitimo matrimonio natus erat, quod notauit D. Thomas 4. contra gentes capite 50. tum quia ibi David non accusat peccatum alienum, sed agnoscit proprium, ut Deum ad misericordiam fleat: loquitur ergo de originali, ex Hieronym. & Aug. ibi.

VIII.
4. Ratio. Quarta ratio est à signo, quia scriptura docet esse quorundam peculiare priuilegium, ut ante natiuitatem fiant Sancti, Luca primo. Ieremia 1. de Iacobo fratre Domini refert idem Hegelippus apud Eusebium lib. secundo de historia capite 23. quod ego non assero. Si ergo est hoc singulare priuilegium, signum est alios concipi sine gratia: ergo in peccato, quia in homine creato ad finem supernaturalem non est medius status. Vide Augustinum libro 2. de peccato originali cap. 3. 2. & Greg. 17. moralium c. 10. & patet ex Scriptura, nemo mundus à sordibus, neque infans, atque per hanc manet confirmata conclusio ex Patribus, & ex Conciliis.

IX.
Ad fundamen. in n. 1. & 2. Ad fundamenta erroris contrarii. Ad rationes dicemus in sequentibus: ad Patres iam est responsum: ad illa uerba Scripturae fatemur nunquam filium puniri nisi ob culpam propriam, id est, quam in se habeat: de illo autem loco Exechielis satis multa diximus supra disp. 7. sect. 1. ad illa uerba Pauli, refert vnusquisque prout gessit. Anselm. de conceptu Virginali capite 18. exponit sic, prout meretur, & dignus est, vel aliter, prout gessit, vel propria voluntate, vel aliena. Vel certe haec, & similia loca, ut in fine huius materiae dicemus, de adulteris intelligenda sunt, nam illi proprie sunt iudicandi.

SECTIO II.

Quid sit peccatum originale.

PRIMUM omnium statuamus, ut certum hoc peccatum non esse aliquem actum eius, qui in peccato concipitur, quod est euidens, quia ille tunc non utitur ratione, neque miraculosè illuminatur, ut peccare possit. Vnde Augustinus lib. primo de peccatorum meritis capite 7. 4. & 75. irridet quosdam Pelagianos, qui ad hoc tandem deueniunt, ut paruulos dicerent esse Baptizandos propter peccatum actuale, quod in conceptione committunt.

Reiiciuntur primum opiniones de essentia peccati originis & statuatur esse priuationem.

I. Opinio. Prima ergo sententia omnino negat originale peccatum esse aliquid, quod inhereat in homine, qui ex Adamo nascitur, sed illud ipsum peccatum, quod in Adamo fuit actuale, & ipsum intrinsece denominauit peccatorem, atque respectu nostri esse originale, quatenus illos omnes extrinsece denominauit peccatores. Et Alberti Pighij in controuersia de peccato originali, & Catherini opusculo de hac materia. Fundamentum eorum est, quia in puero nihil esse potest, quod veram, & propriam rationem peccati habeat, quia peccatum proprie est actus voluntarius: sed peccatum originale est proprie, & vere peccatum: ergo oportet illud etiam esse aliquem actum non proprium: ergo alterius, in quo reliqui peccauerunt, ad Romanos quinto, ubi etiam dicitur illo peccato omnes fuisse constitutos peccatores. Contra hanc sententiam sit sequens propositio.

II. Propos. Peccatum originale est aliquid à parte rei priuationium, vel positium intrinsece inherens in homine concepto ex Adamo. Censeo conclusionem hanc esse de fide, patet ex Tridentino sessione quinta. Si quis dixerit illum (scilicet Adamum) per inobedientiam peccatum mortem, & penas in omne genus humanum transfudisse, non autem peccatum, quod mors est anima, & anathema sit: & intra ipsius hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione transfusum omnibus, id est, vnicuique proprium, & c. quod saepe ibi repetit, colligitur etiam ex omnibus adductis, in prima sectione, quia in re, praedicta sententia auert à nobis originale peccatum. Confirmatur ex illo ad Romanos quinto, ubi homines non renati in Christo dicantur impij, peccatores inimici: & infra, sicut peccatum intravit, ita & mors: mors autem intrat ad vnumquemque propria, ibidem etiam comparatur peccatum Adæ cum gratia Christi: gratia vero Christi transfunditur non per denominationem extrinsecam, sed per inherentem iustitiam: ergo, & c. Praeterea haec est sententia Sanctorum Patrum, Hieronym. libro 3. contra Pelag. & aliorum.

III. 2. Opinio seu signatum quorundam haec rationum. Secunda sententia est quorundam Lutherorum, qui dicunt peccatum originale esse formam substantialem, quod sic explicant, dicunt enim hominem physicum, id est, constantem ex solo corpore & anima naturaliter aptum ad omnia opera humana, fuisse creatum in principio, atque illi fuisse additam quandam substantialem formam, vel substantialem gradum eiusdem formae, per quam efficiebatur homo Theologicus diuinus, & ad imaginem Dei, capaxque diuinae beatitudinis, & supernaturalis legis, & hanc formam vltimam dicunt esse mutatam in formam deterrimam, qua homo fit proclius ad omnia vitia, & omnino ineptus ad bona, vnde concludunt primum hominem substantialem ratione fuisse conceptum, iamque non habere imaginem Dei. Utuntur ad hoc monstruosum figmentum Scripturae locis, in quibus homines dicuntur semen diaboli, & plantatio Sathanae & habere cor lapideum, & similia. Confirmatur, quia peccatum legi Dei repugnat, & ideo dicitur iniquitas. i. Ioannis 3. Sed iam nunc nostra natura per suam substantiam est contraria legi Dei, ut colligitur ad Romanos 7. ergo, & cetera. Huius erroris auctor fuit Illyricus, quem impugnant

gnant alii Lutherani, revera tamen ille ex eorum doctrina hunc errorem hausit, nam etiam Lutherus, & alii dicunt peccatum hoc esse corruptionem naturæ, & per illud in hominibus esse deletam imaginem Dei.

IV. Secunda propositio. Originale peccatum neque forma substantialis, neque eius privatio, aut remissio, aut transmutatio esse potest. Hac conclusio licet non sit definita his verbis: tamen tenenda est de fide, quia ex dicta sententia sequitur apertissimi errores. Primus formam substantialem esse per se malam, & peccatum, quæ est hæresis Manichæorum ab omnibus Patribus damnata, ut suppono, ex prima parte D. Thomæ quest. 48. & per se est impossibile, quia peccatum est defectus, & iniquitas contra legem: substantiæ vero ut substantiæ, non possunt ista convenire, legatur Augustinus 1. contra Iulianum capite tertio, & libro 6. cap. 1. & lib. contra epistolam Fundamenti cap. 33. & 35. & de natura, & gratia cap. 19. & 20. Secundus error, qui ex præcedente sequitur, est hominis animam esse corruptibilem, & transmutabilem in aliam. Tertius, quod necessario debet dicere Deum esse autorem peccati, vel aliquam rem esse, quæ non sit à Deo, quia illa transmutatio animarum rationalium ab ipso solo fieri poterat. Videatur Augustinus 1. confessionum cap. 12. & libro contra Secundum Manichæum cap. 3. & 13. in Enchiridio cap. 11. Basilii in libro, quod Deus non sit auctor malorum, & Ambrrosii 1. Exameron cap. 8. Quartus, quod hac ratione coacti dicunt Dæmonem habere efficaciam ad istam transmutationem faciendam, quod est hæreticum, ut docetur in prima parte, viderique potest in lib. de Angel. & præterea id non potest intelligi, nam vel illæ formæ sunt spirituales, vel materiales, si secundum, et se erunt corruptibiles, & homine ratione illarum non erit capax Dei, neque forma mutabitur in formam, sed corrumpetur vnum compositum, & generabitur aliud: quod tamen non fit sine physica alteratione, quam non semper peccatum efficit, alias homo peccando moretur: si vero spirituales sunt, per creationem incipiunt, & per annihilationem desinunt esse: quomodo ergo Dæmon habet efficaciam in illas? Videatur Augustinus tractatu 4. in primam Canoniam Iohannis. Quintus error, sequitur peccatum originale non auferri per Baptismum, quia nulla auferatur, nec datur substantialis forma. Sextus error sequitur, nunc eam mentem hominis, quæ in illo nunc est suprema, esse peccatū originale, & inclinare ad malum, quod est contra Paulum ad Romanos 7. & ad Galatas 3. ait ubi mentem, & rationem velle id, quod est bonum. Septimus error, sequitur Verbum divinum vel assumpsisse formam illam substantialem, quæ est originale peccatum, quod est hæreticum, vel non assumpsisse naturam eiusdem speciei substantialis cum nostra, quod est etiam hæreticum. Legatur Leo Papa in epistola 11. ad Iulianum. Octavus error, sequitur hominem beatum substantia, & essentia differre à viatore, quia non manent in illo ea forma, quæ est peccatum originale.

V. In ratione etiam naturali dicit impossibilia hæc sententia: nam quæro quid intelligat per hominem physicum: aut enim illud est compositum ex corpore, & anima rationali vera, aut non. Si primum, ille homo habet intellectum, & voluntatem: ergo est ad imaginem Dei, nam hæc ratio imaginis in intellectu, & voluntate fundatur, ut docet Augustinus, Basilii, & alii, qui etiam tanquam hæresim damnant imaginem Dei in homine posse deleri per peccatum, licet

fuerit denigrata. Præterea talis homo est capax gratiæ, nam propter rationalem animam ut sic, est capax, iuxta illud August. posse habere gratiam natura est hominum: vnde tandem ille homo habebit propensionem ad id, quod est honestum, & libertatem, & cætera, quæ isti hæretici negat: si vero dicat hominem illū physicum non esse rationale, ipsi tanquā irracionales sunt omittēdi.

Ad fundamentum expugnati erroris respondetur, omnia illa loca metaphoricam continere, nam cor hominis, dicitur primum, non quia substantia eius mala sit, alias cum dicitur lapideum, haberet lapideam substantiam, sed propter pravas cogitationes, & fomitem ex Augustino 1. contra duas epistolas Pelag. capit. 13. & idem est de aliis: quod vero ad Romanos 6. dicitur corpus peccati, ideo dicitur, quia vel est peccato subditum: vel quia est instrumentum peccati, vel verius propter defectus, quos ex peccato contraxit. Ad confirmationem respondetur, id quod est prohibitum lege, & illi contrarium, esse peccatum, tamen naturalem substantiam non esse prohibitam lege, neque omne id quod inclinatur ad operandum contra legem esse peccatum, licet interdum sit aliqua occasio peccati.

Tertia sententia est communis Lutheranorum, qui videntur putare peccatum originale esse concupiscentiæ fomitem, & totam eam inordinationem potentiarum, quam in nobis experimur: dicunt enim hoc peccatum esse tenebras in intellectu, auersionem in voluntate, contumaciam in corde, & vitiorum omnium originem, quæ opinio in sensu quo ab ipsis asseritur, est hæretica: ad eam non nihil accedit quorundam Scholasticorum sententia dicentium peccatum originale esse concupiscentiam ipsam, quam videtur tenere Magister 2. distinct. 30. placitum. Sed in sequentibus partim hoc explicabimus, partim impugnabimus.

Sit ergo tertia propositio. Id quod vere, & formaliter est originale peccatum, non consistit in concupiscentia, neque in aliquo defectu potentiarum hominis, qui veluti naturalis sit, & in homine in puris naturalibus creato reperiri posset, vel esse in homine iam iustificato. Hæc est contra sensum Lutheranorum, ac probanda est ex illo principio, peccatum originale esse id quod per Baptismum auferatur, neque manet in renatis, ut Concilium Tridentinum sessione 5. definit, & patet ex illo ad Titum 2. mundaret sibi populum acceptabilem, & ad Romanos 5. Sicut per vnum hominem, & infra, nam sicut delictum, ita & donum: & infra, ubi abundavit delictum, superabundavit gratia, ex quibus habetur gratia Christi esse directe contrariam peccato contracto ex Adamo: quod etiā habet cap. 8. quod incipit, Nihil ergo est damnationis his, qui sum in Christo, & cap. 6. Qui mortui sumus peccato, quomodo vivemus in illo: & tandem 1. Iohannis, sanguis eius emundat nos ab omni peccato. Confirmatur, nā in renatis nihil est quod impediatur introitum in regnū cælorum, nisi id propter quod tollendum Baptismus institutus est: hoc autem est originale peccatum: ergo tale peccatū nihil est aliud, quam vera animi culpa. Maior patet Iohannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & c. Mar. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. id est, si ipse aliud impedimentum non apponat, ex Augustino in Enchiridio cap. 66. & 67. & lib. 21. de Civitate capite 16. atque aliis in locis id confirmat, qui etiam videri potest libro 1. contra duas epistolas Pelag. cap. decimotertio, ubi radicitus auferri dicit peccatum originale, non radi per Baptismum, & Chrysostom. homil. 40. ad Corinthios, & homil. ad Neophytos, & epistola ad Crephontem, & Nazi-

IV. Ad fundam. in n. 3.

Ad confirm. ibid.

VII. 3. Opinio Lutheranorum.

Quorundam catholicorum placitum.

VIII. 3. Propositio contra proximam opinionem.

Handwritten notes on the right margin, including 'V. 3. Opinio Lutheranorum' and 'VIII. 3. Propositio contra proximam opinionem'.

& Nazianz. oratione de Baptismo, & Epiphani. heresi 37. & 66.

IX.
Probatu-
r iam 3 propo-
sicio.

Ex hoc ergo fundamento colligitur primo concupiscentiam non ut significat actum, sed ut significat appetitum sensitivum, quatenus proclivis est ad sensibilia, & potest contra rationem moveri, peccatum non esse, atque adeo, nec originale. Confirmatur, quia hæc concupiscentia non est defectus voluntarius contra legem, nec auerit hominem à Deo. Antecedens patet, quia nulla est lex, qua teneamur non habere istam concupiscentiam, vel habere iustitiam originalem, ut supra diximus, de quo videri potest Epiphani. contra quandam antiquam heresim *tomo 1. heresi 64.* Secundo colligitur eadem ratione tota conclusio, quia omnis defectus potestiarum hominis est veluti naturalis: licet enim modo, ut infra dicemus, ex peccato originali deriuetur, tamen per se etiam sequitur ex natura hominis, & esset in puris naturalibus: non ergo potest habere rationem peccati originalis, cum etiam eiusmodi defectus maneant in renatis, unde neque tenebræ intellectus, neque duritia cordis, &c. ad essentialiam originalem peccati pertinere dicuntur, licet sint eius poenæ, ut decemus, non tamen maiores, aut grauiores nunc, quam in puris naturalibus esset, pro ut infra exponemus.

X.
Obiectio
Lutherano-
rum.

Sed obiciunt Lutherani, quia concupiscentia repugnat legi mentis: ergo est peccatum, ideo enim à Paulo appellatur peccatum ad Roman. 7. & alibi, & August. libro primo contra Iulianum, *initio*, propter hanc concupiscentiam dicit renatos non omnino carere vitio, refertque multos Patres, & lib. 5. cap. 3. dicit concupiscentiam non tantum esse poenam, sed etiam peccatum, & ideo non esse laudandam. Respondetur, hæc probant concupiscentiam esse defectum, & vitium quoddam naturæ, non ut vitium significat peccatum, sed ut importat imperfectionem quandam. Neque refert, quod hæc concupiscentia moueat ad operandum contra legem, quia inde solum sequitur posse esse occasionem peccati, non vero ipsam esse formaliter peccatum, quia non est ipsa formaliter contra legem, cum non sit in se prohibita, & ita fati patet Augustini sensus in primo loco. In secundo vero, dico primo, loqui de concupiscentia prout est in homine antequam sanetur per gratiam, quam ipse vult aliquo modo, id est, materialiter pertinere ad hoc peccatum, ut patet etiam ex libro 1. de Nuptiis cap. 6. Quod quomodo verum sit infra dicemus. Secundo dicitur Augustinum solum voluisse contra Iulianum, concupiscentiam non esse laudandam, quia non solum est poena, sed etiam inclinatur ad culpam. Unde non potentiam ipsam, sed actum ab illa manentem vult esse peccatum, non originale, sed actuale, & accedente aliquo consensu voluntatis, ut ex toto contextu colligitur.

XI.
4. Opinio.

Quarta sententia est quorundam, peccatum originale esse qualitatem quandam naturæ corruptæ inhaerentem: quam explicant dicentes ex Adami peccato factum esse, ut voluntas eius fuerit infecta quadam qualitate inclinante ad creaturam, ex qua *inquinant*, redundauit ad corpus eius aliqua qualitas morbida, quæ in ipsa generatione postea coniungitur semini, quod format corpus naturali qualitate infecti, quod fit, ut cum primum anima infunditur tali corpori, qualitas, quæ est in carne, efficiat in anima etiam illam prauam qualitatem, hancque dicunt esse peccatum originale essentialiter, quia ipsa est quæ animam inclinatur ad creaturam, & auerit à Deo: prædictam vero quali-

tatem corporis dicunt esse peccatum originale causaliter, & quia etiam ex peccato parentis nascitur. Hæc sententia tribuitur Magistro secundo *distinct. 30. & decimo*, licet non satis eam explicet, ut potius videatur loqui de concupiscentia: defendit tamen illam Gregorius Arim. lib. 1. sic intelligens Magistrum, & Henricus quodlibet *secunda. questione vndecima & Driedo libro secundo de gratia, & libero arbitrio sub finem*, & Michael Baius de peccato originis. Confirmant sententiam ex Augustino libro primo de Nuptiis capite vigesimo tertio, & 27. dicente concupiscentiam esse hoc peccatum, causam vero esse affectionem malæ qualitatis: & capit. 21. carnem hominis vocari carnem peccati, propter morbidum quandam affectum: & *contra Iulianum capite 7.* animam corpori infusam maculari tanquam à vase vitiatum, quæ sententia est improbabilis, ut melius ex dicendis patebit.

Sit ergo quarta propositio. Peccatum originale non est positua qualitas addita animæ, vel potentis eius. Est communis Theologorum *intra citandorum*. Probatu, quia ratio peccati præcipue habitualis, nõ potest consistere in qualitate positua, sed in defectu, ut supra ostensum est: peccatum autem originale est quoddam habituale: ergo. Confirmatur, nam vel illa qualitas est peccatum ratione solius positui, quod habet in homine: & hoc primo est contra rationem mali, & peccati, ut supra ostendimus: deinde sequitur Deum efficere peccatum formaliter, nam efficit totam illam qualitatem. Vel est peccatum ratione alicuius priuationis adiunctæ, & hanc non explicat prædicti autores: neque potest esse aliqua, ad quæ fit necessaria qualitas contraria. Secundo, totus ille modus, quo explicatur illa sententia, est commentitius, nam ex peccato Adæ solum potuit resultare in voluntate eius aliquis habitus prauus, qui non est peccatum, ut ostendimus supra, ab illo autem habitu nihil deriuatur ex natura rei ad corpus, nisi forte quis dicat: quod Gregorius indicat, qualitatem illam processisse ab habitu serpentis, quia autor libri Hypognoticon in 4. libri *initio*, dicit peccatum originale natum esse ex fetu serpentis: sed hoc est ridiculum, nam autor loquitur metaphorice, & Dæmon per se nullam qualitatem potest efficere: per serpentem autem posset efficere qualitatem nociuam corpori: non animæ. Et eodem modo facile reicitur, quod dicunt alii cibum vetitum effecisse illam qualitatem: nam si cibus aliquid efficeret, ilud pertineret ad commodum, vel incommodum corporis, non animæ, illudque potius esset salubre, ut colligitur ex Augustino de *Ciuitate capite 12.* Tertio, quidquid fuerit de Adamo, ille modus communicationis prædictæ qualitatis ad posteros est etiam impossibilis, quia illa qualitas aliquem effectum formale habere debet, atque adeo determinatum subiectum: effectus autem in hac sententia erit procliuus facere animam ad vitia: quare subiectum eius erunt potentia ipsæ: non ergo potest esse illa qualitas in semine subiectiue. Præterea esto in illo esset, nõ posset efficere qualitatem spiritualement in anima. Denique quidquid est in potentiis animæ, inclinans illas ad actus, habet rationem habitus, qui non potest esse peccatum, ut sæpe dixi. Unde confirmatur vltimo, nam sequitur peccatum originale manere in renatis, siquidem in illis manet omnis qualitas positua, quæ antea erat, & inclinatio ad obiecta sensibilia.

Nec testimonia ex Augustino vrgent, quod enim ait concupiscentiam esse morbidum affectum,

Ad suasiones ex Augustino in 11.
 etum, vel affectionem prava qualitatibus, non est intelligendum esse affectionem à prava qualitate proveniente, sed esse affectionem pravam ipsius appetitus, qui est quaedam qualitas, & esse languorem eius: qui tamen languor, & affectio solum addunt appetitui priuationem quandam ut infra magis exponemus.

XIII.
 5. Opinio.
 Quinta sententia est dicentium hoc peccatum non esse puram priuationem, sed positium aliquid cum priuatione. Ita Caietanus prima secunda quest. 82. art. 1. & 3. qui illud positium vocat qualitatem, vel habitum corruptum. Idem Capreolus 2. distinct. 3. & Ferraricus quarto contra gentes ca. 52. qui volunt positium illud esse ipsam voluntatem, nimirum conuersam ad bonum commutabile. Fundamentum eorum est obscura quaedam verba D. Thomae illa q. 82. art. 1. ad 1. peccatum originale non esse priuationem puram, sed includere habitum corruptum.

XV.
 5. Propositio bipartita contra quintam opinionem.
 Sit tamen quinta propositio. Essentia originalis peccati in priuatione aliqua vere, & proprie in homine existente, & suo modo inherente consistit, nihilque reale positium includit: quod in homine inhaereat. Est communis Theologorum, & prior pars satis patet ex dictis, ostensum est enim nihil pure positium posse esse hoc peccatum essentialiter. Vltimam partem probemus: nam si aliquid positium includitur in essentia originalis peccati, illud certe est in anima, ut per se constat, & infra etiam patebit: ergo vel est ipsamet essentia animae: & hoc non, quia illa est subiectum peccati, non peccatum: ac per se bona: vel est aliqua potentia eius, & hoc non propter easdem rationes, vel aliquid additum potentis, & essentiae, quod etiam falsum est, nam rationes factae contra quartam sententiam probant nullam qualitatem esse additam animae, praeter hoc peccatum, & licet addita esset, non posse pertinere ad essentiam peccati, neque ut est pars, neque ut totum.

XVI.
 Enasio in pugnat.
 Dices illud positium esse modum quandam ipsius voluntatis, qui ab ipsa realiter non est distinctus, & consistit in quadam nimia propensione, & conuersione voluntatis ad creaturas. Sed hoc est intelligibile, quia talis propensio, quatenus est idem cum voluntate, est ipsa essentia eius, quia est aliud nihil, quam propensio ad bonum, quae neque potest augeri, neque mutari in ipsa voluntate, quia voluntas ipsa est immutabilis entitas, & in se, neque recipit magis, neque minus: vnde euidenter est hominem creatum in puris naturalibus non aliam propensionem, neque alium modum habitum in voluntate per se ipsam, quam habeat homo genitus ex Adamo: quia vterque homo haberet essentiam, & potentias, quae in se inalterabiles sunt: & neuter haberet alias entitates. Confirmatur, nam conuersio ad creaturas non habet rationem peccati, praecipue originalis, nisi sit ad creaturam, ut ad vltimum finem, voluntas autem pueri non est isto modo conuersa ad creaturam: nam potius est magis propensa ad Deum vltimum finem, quam ad omnem creaturam, sicut esset voluntas hominis in puris naturalibus, praeterquam quod illa conuersio non est physica, ut constat, neque etiam moralis, quia isto modo solum esset conuersio actualis ad Deum imputata puero, quod esse non potest, ut contra primam sententiam partim ostendimus, partim dicemus in sequentibus: Confirmatur praeterea, quia ad delendum originale peccatum non est per se necessaria actualis conuersio ipsius hominis ad Deum, cum voluntas eius non fuerit conuersa ad

Suares in primam secunda D. Thom.

creaturam, ut ad vltimum finem, propterea enim, ut dicemus, peccato originali non tribuitur poena sensus. Tandem in Baptismo nihil positium tollitur ab homine, & tamen totum illud tollitur, quod est de essentia peccati originalis: D. Thomas autem (ut ad illius obscura verba citata mun. 14 respondeamus) cum ait originale peccatum non esse solum priuationem, non loquitur de eius tantum essentia, quae ab eodem in art. 3. dicitur formale huius peccati, poniturque in priuatione: sed loquitur de inordinata dispositione partium animae, quae ex peccato originali nascitur, & vocatur ab ipso materiale huius peccati, propter Augustinum, ac languorem naturae, & in hoc includitur aliquid positium, prout exponemus agentes de effectibus huius peccati in sect. 5.

Sed obieciens. Peccatum originale in nobis est simile peccato habituali, quod in Adamo permansit transacto actu, quod indicat Trident. sess. 5. cum dicit originale peccatum esse vnum in suo principio: sed illud habituale non consistebat in sola priuatione, sed in deordinata conuersione ad creaturas: ergo. Respondeo in Adamo transacto actu nihil mansisse quod vere, & physice in illo fuerit, sed solum priuationem, quatenus voluntaria ex ordine ad actum praecedentem aliquid etiam mansit secundum moralem existimationem, & huiusmodi fuit conuersio ad creaturas, & malitia eius: peccatum ergo originale in nobis est simile peccato Adae secundum priorem rationem, non secundum posteriorem, quia illa conuersio, quatenus ex obiecto continebat particularem malitiam, erat personalis, & ideo tota poena sensus illi respondens soli Adamo erat debita, auersio autem à Deo, erat ab illo, vel in illo, ut à capite, quia nos solum censebamur contineri in illo, in his, quae ad Deum pertinebant, imo tantum in ordine ad dona superaddita naturae, vel priuationem eorum, quae omnia magis ex sequentibus patebunt. Dices: nam paruulus manet auersus à Deo: ergo habet aliquam conuersionem contrariam. Respondeo negando consequentiam, nam id non sequitur in peccato actuali, non in habituali, & praecipue originali, quod non sit per proprium actum. Sed iam superiunt duo explicanda. Primum, quare priuatio istud peccatum? Secundo, quomodo illi priuationi conueniat ratio peccati? primum variis modis explicatur à Theologis, quia tamen arbitror omnes in re conuenire.

XVII.
 Obiectio.

Solutio.

Instantia diluitur.

Cuius forma peccatum originale sit priuatio.

Sit sexta propositio. Peccatum originale per se est habitualis auersio à Deo sine supernaturali, vnde priuatio iustitiae, seu, quod idem est, charitatis, & gratiae, quatenus hominem conuertunt ad vltimum finem supernaturalem, scilicet Deum. Est communis Theologorum, & probatur primo, quia originale peccatum essentialiter est illa priuatio, quae in Baptismo primo, & per se auertitur. Quae regula ad cognoscendum originale peccatum colligitur ex Concilio Mileuitano canone 2. dicente, peccatum originale esse id quod debet in Baptismo mundari: & Tridentino dicente Baptismo tolli id, quod necessario peccati rationem habet: sed nulla alia priuatio auertitur per Baptismum per se primo nisi priuatio gratiae, & charitatis, & consequenter etiam tollitur priuatio aliarum virtutum, quae Baptismum

O o cod.

consequuntur: ergo, &c. Secundò peccatum originale est priuatio alicuius perfectionis in homine inhærentis, & non naturalis, quia naturalia manent integra post peccatum: ergo supernaturalis: ergo illius doni, & perfectionis quæ mentem hominis ad Deum vltimum finem conuertit, quia peccatum, vt sic, auersionem dicit ab vltimo fine. Tercio originale peccatum formaliter, & per se est mors animæ; iuxta Tridentinum *supra*, & Araucan. *ca. 2.* sed mors animæ est carentia gratiæ, & charitatis, in quibus vita eius consistit. Quartò peccatum originale in nobis est simile peccato habituali, quod in Adamo mansit: sed illud consistebat in priuatione gratiæ: ergo &c.

XIX
Vnum coroll.
ex di-
ctis.

Ex hæc conclusione intelligitur primo quo sensu dixerit Anselm. *lib. de peccato originali.* originale peccatū esse priuationem originalis iustitiæ, quem secuti sunt Thomistæ *1. 2. q. 81. art. 5. ad 2. & 82. art. 2. 3. & 4.* Bonauentura, Scotus, & alii *d. 30. & 31. Alenlis. 2. parte q. 122.* qui sub iustitia originali gratiam sanctificantem comprehendunt, vt D. Thomas *1. parte quest. 95. & 100. notauit & clarius in 2. distinct. 32. q. 1.* dicit iustitiam originale non differre à gratia gratum faciente quoad illum effectum, cui contrarium est originale peccatum. Et eodem sensu sumendum est quod dicit *q. 4. de malo, art. 1. ad 11.* vbi indicat peccatum originale esse iustitiæ indignitatem, Scotus *supra* clarius dicit hoc peccatum esse priuationem gratiæ, quæ debebat inesse. Quocirca intelligendum est primum effectum originalis iustitiæ fuisse subdere animam Deo, id est, illam conuertere ad supernaturalem finem, postquam habebat alios, vt rationem inferiorem subiiceret superiori, & appetitum sensitium voluntati, & corpus animæ: non est ergo intelligendum peccatum originale dicere priuationem iustitiæ, vt omnes hos effectus causabat, aliàs hoc peccatum non plenè deleteretur in Baptismo, neque ipsi Adamo fuisset vnquam omnino remissum. Solum ergo priuatio iustitiæ quantum ad primum effectum, qui est quasi primarius, & essentialis, pertinet ad essentialiam originalis peccati: & magis vtuntur Doctores nomine iustitiæ, quam gratiæ, quia in sua origine homo illam habere deberet: priuatio autem reliquorum effectuum pertinet quidem ad rationem poenæ, non ad essentialiam culpæ: cuius ratio est, quia solus ille primus effectus est per se necessarius, vt homo sit verè, & simpliciter conuersus ad suum vltimum finem, & amicitiam eius conferuet, & beatitudinem consequatur: alii vero non erant huiusmodi, sed veluti proprietates pertinentes ad ornamentum illius status. Vide Sotum *lib. 1. de natura, & gratia cap. 4. & 5.* & quæ diximus in opere sex dierum.

XX.
Alterum
coroll.

Secundò infero sine causa Caietanum, Canariensem, Sotum, & alios laborare, & inter se disceptare, dum quidam eorum negant originale peccatum esse priuationem iustitiæ, vel gratiæ: cum tamè concedant esse priuationem subiectionis ad Deum, quæ efficiebat iustitiæ. Alii dicunt vnum esse primarium, alium esse secundarium. Alii neutrum istorum esse, sed auersionem à Deo. Verum hæc omnia solum sunt distincta verba, vnde non sibi constant dum vnum concedunt, & aliud negant, quia idem est priuari forma, & priuari effectum formalem, vnde idem est priuari iustitiæ, & subiectionem ad Deum. Similiter auersio nihil aliud est quam priuatio conuersionis: conuersio autem, & subiectio ad Deum

idem sunt, quæ omnia etiam satis patent ex propria forma, quæ omnia ista tolluntur.

Tercio infero peccatum originale in essentialia sua non includere auersionem à Deo sine vltimo nature, sed solum vt est finis vltimus gratiæ. Quod patet ex dictis, quia peccatum hoc non priuat aliqua perfectione naturali: conuersio autem ad Deum, vt finem naturæ, naturalis est. Confirmatur, quia paruuli, qui decesserunt in solo peccato originali, sine dubio diligunt Deum super omnia, vt finem naturæ: habent ergo illum pro vltimo fine. Propter quod aliqui probabiliter putant fore beatos beatitudine naturali, de quo infra *sect. 6. propof. 3.* non nihil fortasse dicam, neque est inconueniens eundem hominem esse auersum à Deo sine supernaturali, & conuersum ad eundem, vt est finis naturæ, quod Caietanus *1. quest. 109. late disputat art. 3.* dicimusque inferius.

Secundo obicitur. Adamus post peccatum mansit auersus à Deo sine naturæ, & à Deo sine gratiæ: ergo similiter posteri. Confirmatur: nam iustitia originalis etiam conuertebat hominem ad Deum finem naturæ. Ad primam partem nego consequentiam, quia Adamus proprio actu se conuertit ad creaturam, & contra ipsam etiam naturalem rationem, & legem peccauit: sed hoc, vt particularis persona, quia nos solum conseruamur contineri in illo ordine ad supernaturalem legem. Ad confirmationem negatur assumptum. Nam iustitia originalis supponebat eam perfectionem, quæ omnino naturalis est, & quæ esset in homine in puris naturalibus, qualis est conuersio ad Deum finem naturæ, iustitia vero iuuabat ad conseruandam: & tuendam talem conuersionem.

Quomodo explicata priuatio rationem peccati habeat.

Tam sequitur inquirendū, quomodo hæc priuatio veram habeat rationem peccati, Parisiensis *libro de vitis, & concupiscentiis*, negare videtur hoc esse vere, & proprie peccatum, & eodem modo loquitur Ruardus *art. 2. contra Lutherum, & Durandus. 2. distinct. 30. q. 2.* qui in tertia dicit esse reatum poenæ: quomodo loquitur D. Augustinus *3. contra Iulianum capite 3. & 1. retractationum capite 15.* sit tamen

Septima propositio. Priuatio hæc est vere, & proprie peccatum, quatenus est voluntaria auersio à Deo sine supernaturali, & legi eius eo modo contraria, quo sunt reliqua actualia peccata. Prima pars conclusionis videtur de fide, ex his, quæ in prima sectione dicta sunt, vbi etiam ostendimus Sacras literas de hoc pacto loquentes proprie esse intelligendas: nam si improprie exponantur, solum concluderetur in nobis esse poenam peccati, cum tamen Tridentinum *supra* tolli docet per Baptismum id, quod proprie, & vere peccatum est. Confirmatur, quia nihil est mors animæ, nec constituitur hominem inimicum Deo, & odio dignum, nisi verum peccatum, & hæc est etiam sententia Augustini *libro secundo de peccatorum meritis capite trigesimo quarto, & tertio, contra Iulianum saepe*: quare in aliis locis loquitur large explicando rem per effectum.

Vt autem exponamus secundam partem conclusionis, supponendum est quod in opere sex dierum *libro 3. cap. vlt.* latius tradimus, Deum in prima hominis creatione, postquam instituerat primum hominem rectum, & constituisse illum

caput totius posteritatis suae, à quo voluit vitam spiritualementem, & mortem eius posteritatis pendere. vnde intelligendum est, ita pepigisse cum illo, hanc quam precipio legem fideliter custodieris iustitiam, & gratiam meam, & tibi, & omnibus tuis posteris conferuabis, si vero pactum meum irritum feceris omnes mihi reddes inimicos. Quemadmodum passionis Soto. de natura, & gratia cap. 10. & quidam alii irrident tanquam non necessarium ad rem hanc explicandam. Tamen Pighius & Catherinus supra. illum admittunt, & antea Scot. distinct. 31. & melius August. 16. de Ciuitate de cap. 27. sic exponens verba illa Genes. 17. Pactum meum irritum fecit, vt supra vidimus, & Hieronym. Osee 6. vt supra etiam attulimus. Esse autem conueniens tale pactum, vt peccatum Adæ ad omnes eius posteros pertineat, neque esse factis illud fuisse primum principium, & quasi naturalem stirpem posteritatis suae, liquet, quoniam alias omnia peccata parentem pertinerent & transfunderentur ad filios, & omnia reliqua peccata Adæ ad nos ipsos: ergo communicatio originalis peccati non fundatur in sola natura, aut naturali lege: ergo in positiua à Deo lata, & in peculiari modo, & ratione imponendi: quod totum vocamus pactum iuxta vsitatum pharasi Scripturæ, & quia ex vtraque parte continebat equalitatem, ac veluti mutuam obligationem, ideo factum est, vt ex solius Adami inobedientia omnium filiorum, quos naturaliter procreauit inimicitia, vel amicitia erga Deum penderet: & hoc est voluntatem Adæ moraliter coram Deum reputatam fuisse totius naturæ voluntatem, cum dicimus, omnes in eo peccare, Rom. 5. vel in paradiso transgressos fuisse pactum eius, Osee 6. Sic etiam Augustinus 1. de Baptismo paruulorum cap. 10. Omnes peccauerunt, quia omnes vnus homo fuerunt: & Basilus homilia de ieiunio, Omnes cecidimus, quia omnes in primo parente non ieiunauimus, & Fulgentius libro de incarnatione, Omnes testamentum Dei transgressi fuimus transgrediente primo parente. & Origenes ad Romanos 6. Adamo stante stetimus, & eo declinante à via recta omnes declinauimus. Fortasse tamen necessarium non fuit Deum totum hoc pactum, & negotium reuelare Adæ, quia ipsius expectans consensum, sola enim Dei voluntas sufficiebat, vt ex dicendis magis patebit: non est tamen improbabile Adamum explicitè cognouisse totam voluntatē, & pactum diuinum, vt ei omne bonum, & malū quod in eius actu esset, cognoscere possit, ac magis proprie censerī voluntarie obedire, vel repugnare, non vt particularis persona tantum, sed vt caput, vt in hoc sensu intellexerit illa verba, in quacumque die comederis, morte morieris.

tariam præcepti transgressionem, de quo vide Augustinum 16. de Ciuitate cap. 27.

Tertio colligitur quomodo peccatum originale dici possit voluntarium, non voluntate propria sed capitis, quia scilicet secundum moralem & prudentem existimationem, quasi omnium filiorum eius voluntas reputanda est, quod bene exponit Augustinus 1. retractationum cap. 15. Et potest sic declarari: nam si quisque nostrum sponte sua voluntatem propriam ita in voluntate alterius transferret, vt quod ille vellet, id se velle profiteretur, iam posset moraliter dici voluntate alterius velle, quod ille vult. ad hanc ergo rationem intelligendum est Deum voluntatem omnium nostrum in Adami voluntate posuisse quo ad amicitiam, & inimicitiam erga Deum, vt scilicet penderet ex obseruatione illius præcepti, quod non solum iuste, sed etiam rectissime, magisque in nostrum commodum facere potuit Deus non expectato nostro consensu, non solum quia erat supremus Dominus nostræ voluntatis, & rerum nostrarum gubernator sed etiam quia totum illud pactum erat in nostrum commodum, & bonum: propterea enim præstitit Adæ gratiam, auxilia, & dona omnesque interiores inimicos abtulit, & vnum tantum, ac leuissimum præceptum illi tanquam capiti imposuit, vt esset magis idoneus ad obediendum, atque adeo ad conseruandum nobis iustitiam quam ad peccandum. Adde præterea totum hoc negotium, de donis supernaturalibus fuisse, sine quibus homo ex natura sua nasci deberet, et si nullus peccasset: vnde omnia ista fuisse conferenda Adamo, & nobis, illo perseverante, summa erat iustitia: quod si nobis nullum sit peccatum actuale, nullum quoque sit nocumentum in naturæ bonis, quæ ipse se debita sunt.

XXVIII. 3. Consect.

Alio modo explicari potest ex D. Thoma questione illa 81. art. 1. ex similitudine à corpore, & membris vnus corporis humani desumpta. Nam sicut actio manus licet voluntate ipsius manus non sit voluntaria, attamen quia relata ad voluntatem voluntaria est, idem censetur peccatum. Ita inquit, quia tota Adæ posteritas quasi corpus vnum consideretur, cuius ipse erat caput & voluntas totius corporis, censetur moraliter in capite residere, ideo defectu paruuli, licet illius voluntate non sit voluntarius, tamen relatus ad voluntatem capitis, est voluntarius, & ideo peccatum. Quæ analogia confert quidem ad rem exponendam, non tamen purandum est similitudinem tenere in omnibus, sed in his tantum, quæ per se sunt necessaria: scilicet quod sicut omnia membra naturalia efficiunt vnum totum, quod vna voluntate regitur. Ita t. Adam, & omnes posteri eius, qui in ipso virtute continebantur, moraliter constituunt vnum corpus, quod etiam vna lege, & voluntate tunc regebantur: deficit vero similitudo, quia vnio ibi est naturalis, hic tamen moralis, & ex pacto Dei, non ex sola natura rei orta, & ideo in illo exemplo peccatum membri, & capitis vnum omnino est: hic autem in singulis membris peccata sunt singula, & distincta, & peccatum solum est vnum propagatione, & origine: hic etiam fit, vt peccatum membri tantum dicatur peccatum denominatione extrinseca: at vero peccatum originale, licet non sine ordine ad extrinsecam voluntatem sit peccatum, in se tamen intrinsece est peccatum, quia non est per modum actus, sed per modum habitus, & in subiecto apto.

XXVIII.

Ex quo etiam soluitur difficultas, quæ esse postet

XXX. 4. Consect.

XXVI. Consect. rium proz. parte asser tions.

Ex quibus facile intelligitur primo carentiam iustitiæ, & gratiæ in qua nunc nascimur, propris habere rationem priuationis mortalis, quia subiectum proxime aptum erat illam habere & ex lege diuina habere illam deberet, & in suo capite illam habuit, & per idem caput se illa priuauit.

XXVII. a. Consect.

Secundo constat quomodo peccatum hoc possit dici contra legem naturæ, quia scilicet omnino est contra illud præceptum quod tota natura humana recepit in suo primo parente, nam licet præceptum proxime obliget ad actum, & ad obediendum Deo etiam ex consequenti obliget ad retinendam diuinam amicitiam & habendum Deum pro vltimo fine. Adde præterea non oportere vt peccatum, quod est per modum habitus immediate, & per se sit contra legem, sed satis est esse contractum per voluntatem

Suarez in primam secunda D. Thom.

posset in hac, & præcedente propositione. Nam illa priuatio, quæ est in nobis, est à Deo, & est pœna peccati Adæ, & effectus eius: quomodo ergo potest habere propriam: & veram rationem culpæ, ea enim soluenda sunt eo modo, quo soluius similia cum de peccato habituali ageremus: priuatio enim gratiæ non est à Deo influente, sed non agente, & ad huc modo non est ab illo formaliter quatenus est peccatum, sed vt est veluti materiale peccati, sic enim potest esse pœna peccati Adæ: sic etiam vnum peccatum possit esse effectus alterius, & lato modo pœna contracta ab ipso.

XXXI. Ex his manet solum primum fundamentum, quod in præcedenti sectione *mun.* 1. Pelagiana hæresis assererat, nam licet repugnet peccatum nullo modo esse voluntarium, atque adeo esse prorsus naturale, & necessarium tamen non repugnat esse tantum voluntarium: moraliter, voluntate alterius suppositi, & præcipue, quando tale peccatum non actuale, sed habituale est, & eodem modo repugnat esse naturale, id est cum ipsa natura in generatione contractum, & necessitate quadam, supposita priori voluntate. Ad primam confirmationem latius infra, nunc breuiter dicitur æqualitatem esse in hoc seruatum, quod sicut inobedientia Adæ nobis nocuit, ita profuisset obedientia si obediret, vt caput, non vt particularis persona, quia totum pactum Dei ad solam illam legem de non manducando cibo referebatur. Secunda confirmatio non indiget solutione, nam Deus non imputat nobis alienum peccatum: sed proprium cuiusque, licet alterius voluntate contractum, quod iustissime fieri potuisse ostensum est.

XXXII. Ex dictis præterea expediunt nonnulla dubia. Primum, an peccatum originale sit cum reliquis vniuoce peccatum nam Capreol. 2. *distinct.* 90. ad argumenta, fatetur quidem peccatum esse, sed nimis æquiuoce: aliis vero videtur hoc esse contra fidem, quia si non est vniuoce peccatum, neque simpliciter tale erit. Ego vero existimo omne peccatum habituale comparatum ad actuale continere quandam analogiam, quia ratio peccati primo, & per se reperitur in actuali: ex consequenti vero in habituali, per ordinem scilicet ad actuale, in quo non cernitur solum differentia maioris, vel minoris malitiæ, sed quidam veluti ordo vnus ad alterum, in quo consisteret analogia. Antecedens vero patet, quia peccatum habituale, non est voluntarium, nisi per ordinem ad actuale, & similiter non est deuiatio à lege, nisi per illud, quia lex non cadit in habitum, nisi per actum, neque propterea sequitur habituale peccatum non esse simpliciter peccatum, quia analogia hæc non consistit in sola denominatione extrinseca: nam vere in se & intrinsece habituale peccatum, est peccatum, licet non sine ordine ad alterum: ad eum modum, quo creaturæ sunt entia in ordine ad Deum vel accidentia respectu substantiæ. Secundo existimo rationem peccati habitualis vniuoce reperiri in originali, & personali. Ratio est, quia licet reuera peccatum personale magis voluntarium sit, differentia tamen magis, & minus, quando est sine ordine non constituit analogiam: hic autem nullus est ordo, quia peccatum originale, neque rationem voluntarii, neque rationem transgressionis legis, atque adeo, neque rationem peccati habet ex ordine ad personale peccatum, vt per se constat.

XXXIII. Secundum dubium, an quando paruulus con-

trahit hoc peccatum, dicatur verè, & proprie peccare: dicendum proprie, & simpliciter non peccare, quia verbum ipsum peccare manifeste indicat actuale peccatum: sed dici debet generari in peccato, vel nasci in illo, sicut ille qui semel peccauit, non dicitur amplius peccare, licet in peccato maneat. Dices, ad Romanos 5. habetur, Omnes in Adam peccauerunt. Item paruulus in eo instanti fit peccator: ergo peccat. Respondetur non fieri peccatorem committendo, sed contrahendo peccatum. Paulus vero non ait simpliciter peccare nos, sed cum addito, & in præterito peccasse nos in Adamo, vnde postea simpliciter subdit, peccatores constituuntur multi.

Tertium dubium potest defini hic quod sit maius peccatum originale ne, an veniale. Nam D. Thomas 3. p. *quest.* 1. art. 4. sine vlla distinctione respondet veniale esse intrinsece maius, quàm originale. Idem tamen q. 5. de malo art. 1. ad 9. ait respectu personæ esse grauius veniale, quia magis voluntarium: tamen respectu naturæ maius malum esse originale. Respondendum tamen videtur cū peccata hæc sint diuersorum generum, vix posse commode comparari: simpliciter vero maius malum, & peccatum videri originale, quia priuat hominem gratia Dei, non autem veniale, licet alia ratione secundum quid veniale sit grauius in ordine ad personam, quia magis voluntarium, propter quod is qui peccat venialiter, reprehensione dignus est, non qui originaliter.

SECTIO III.

De causis peccati originalis.

Constat originale peccatum nullam habere causam finalem, quia per se non est intentum, sed per accidens sequitur. Formalem quoque non habet præter quidditatem suam: de materiali vero, seu subiecto eius, licet Theologi diuersa sentiant (Durandus enim, & alii volunt esse in appetitu sensitiuo, Scotus, & Bonauentura in voluntate) probabilior tamen videtur sententia D. Thomæ 1. 2. q. 83. art. 2. dicens primario esse in essentia animæ, consequenter vero in voluntate, quia gratia, seu iustitia primario est in animæ essentia, ac totus homo fit hoc peccato Deo iniustus, & ingratus per se primo: voluntas autem ab vltimo fine consequenter auersa, nam ad ipsam primo pertinet etiam conuersio ad eundem finem, quæ omnia explicanda, & defendenda sunt eo modo, quem supra tradidimus, cum de peccato habituali ageremus. De causa ergo efficiente sit

Prima propositio. Causa huius peccati, quod in nobis fit, ipsum fuit peccatum Adæ, quo se & omnes posteros à Deo auertit. Patet ferè ex dictis, & ex Paulo ad Roman. 5. per vnum hominem, &c. & infra explicabitur.

Secunda propositio. Peccatum actuale Adæ non potuit esse causa physica efficiens in singulis hominibus peccatum originale, sed est solum causa moralis. Videtur clara satis propositio quod ad primum partem, quia causa physica est, quæ vere, & realiter influit in effectum: actus autem Adæ id non potest, quia non est, quando singulorum hominum peccata incipiunt: Secunda pars constat ex priore, quia non restat modus alius, quam moralis efficientiæ, qui explicari potest primo per modum meriti, & demeriti. Namque Adam peccando meruit posteros omnes priuari gratia